

DE 1928 K. 048
34 3,2

OBLIGATIONE SVPPILICIORVM PROPOSITIONES MORALES,

QVAS AVSPICIO

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI, SERENISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,

DOMINI

FRIDERICI AVGUSTI,

ELECTORATVS SAXONICI HEREDIS,
ETC. ETC.

PRAE SIDE

HENRICO *Klausing*

MORAL. PROF. PVBL.

IN ACADEMIA VVITEMBERG.

AN. M DCC IX. DIE XIV SEPTEMBR.

H. L. Q. C.

PVLICE DEFENDET

M. IOH. BALTHAS. BERNHOLDVS,

ONOLDO FRANC.

P. L. CAESAR. ET S. THEOL. CVLTOR.

VITTEMBERGAE PRAELO KREVSIGIANO.

Sieger Druck - 01

ORIGA TIONE
SAPPHICORVM
BROPOGRAPHIA
HODIENSIS
PRAESIDIO
HABITAT
HEINRICO
MORTE PROPHET
IN AGEDAMIA VULTEMUR
M. IOH. BALTVS BERNHOLDVS

S. I.

Vpplicium alias et poenam cuiusvis delicti, et animadversionem cum publicam, tum privatam, alias quodcumque summorum dolorum, atque ipsius quandoque mortis, cruciatus significat. Vtrumque hoc loco propterea coniungitur, ut intelligatur, utrum, et qualis, detur obligatio suppliciorum, hoc est, ex una parte, ad poenas atque animadversiones cum publicas, tum privatas, sumendas, subeundas atque expetendas; ex altera parte, ad cruciatus varios cum exigendos, tum sustinendos. Quod enim nonnulli ex Quintiano obseruant, quasi animadversiones publicae, et poenae per Magistratum exactae, solae suppliciorum vocabulo significantur, illud usi eiusdem vocis populari non confirmatur.

S. II. Obligatio vero non male a Pufendorfio de Iur. Nat. et Gent. l. 1. c. 6. §. 5. describitur per qualitatem moralē operativam, qua quis praefare aliquid aut pati tenetur, vel a I. F. Buddco in Elem. Pbl. Pr. p. 211, per qualitatem moralē passivam, qua quis praeferre vel admittere aliquid tenetur necessitate moralē. Est enim obligatio omnis revera vinculum aliquod iuris, ut Icti Romani loguntur, quo necessitate adstringimur, alicuius rei praestandae vel admittendae. Cui placet, dividat eam cum Grotio, Pufendorfio, et aliis, in congenitam, et adventitiam, item

in naturalem, civilem et mixtam, mutuam et non
mutuam, perpetuam et temporariam, absolutam et
hypotheticam, directam et indirectam obligationem,
quia illud ab argumento praesenti, de quo disputa-
tur, non erit alienum.

§. III. Obligatio enim suppliciorum ex supra
positis nihil aliud erit, quam huiusmodi qualitas mo-
ralis, qua quis tenetur necessitate morali ex una
parte ad poenas vel sumendas vel dandas, vel etiam
expetendas; ex altera parte ad cruciatus varios vel
exigendos, vel sustinendos, vel etiam desiderandos.
De quibus omnibus sigillatim hoc loco disputabitur,
an detur qvaedam, et qvalis detur, in illis obligatio?

§. IV. Qvod derur, in illis nimirum, qui ma-
gistratum gerunt, qvaedam obligatio ad poenas a
nocentibus sumendas, cum publicas, tum privatas
etiam quandoque, ubi opus est, ad poenas capita-
les irrogandas; illud nemo facile inficiabitur, nisi So-
cianus, et Fanaticus homo, Anabaptista, VVeige-
lianus, et Qyakerista, et qui eorundem sententiam
defendendam sibi nuper sumpfit Anonymus qui-
dam Ienensis, aut denique illi, qui ius principum ag-
gratiandi longius extendunt, quam fieri debebat,
in qvibus utrum sit numerandus *Auctor Anonymus*
Consult. Polit. de Modo evitandi poenam mortis, illud iu-
dicent alii. Hoc loco in gratiam eorum haec obli-
gatio merito asseritur (i) ex mandato divino: Iussit
enim Deus, cum in legibus revelatis per Scriptu-
ram S., Magistratum sumere poenas, uti alias, ita
etiam, ubi opus est, quandoque capitales Gen. IX.
6. Exod. XXI. 12. Lev. XXIV. v. 14. et 17. Exod.
XXII. 18. Matt. XXVI. 52. Rom. XIII. 4; Tum in le-
ge

genaturae, quae, licet poenas non determinet omnino secundum omnes circumstanias, praecipit tamen, siuum cuique ut tribuatur, adeoque et magistratui, ut poenas sumat, inqve illis irrogandis proportionem poenarum obseruat et delictorum: At haec observari in delictis multis, sine suppicio capitali, non potest. Licet enim Grotius, de Iur. Bell. et Pac. l. 2. c. 20. §. 2., affirmet, qvod, quando poenam dicimus alicui deberi, nihil aliud intelligatur, quam qvod aequum sit, ut puniatur; rectius tamen existimat Zieglerus in Not. ad b. l., item in l. 1. cap. 8. de Iur. Maj. Simon. in Not. ad b. l., et Virarius in Iust. Iur. Nat. et Gent. c. 20. q. 5., qvod iure naturae non tantum aequum sit, ut, qui male fecit, malum ferat, verum etiam praeceptum, ut delinquentes puniantur. In quam sententiam non incommodate Job. Eisenbart. in Inst. Iur. Nat., c. 17. §. 19., qvoniام, inquit, delictorum coercitio in genere considerata sub iuris naturalis praeceptis continetur, ideo magistratus ad poenarum irrogationem etiam per illa praecepta obligatur, ita, ut plenam imputatem delinquenti concedere iuri naturali repugnet.⁽²⁾ Ex nexu necessario huiusmodi suppliciorum cum fine eorundem, et totius reipublicae.. Enimvero neque salus et tranqvillitas reip, neque tres illi fines poenarum, πόλασις, τιμωρία, παραδειγμα, qvos ex Grotio cit. loco §. 6. commemorant alii, possunt obtineri, nisi supplicia etiam, ubi opus est, sumantur capitalia. Sed obligatur magistratus omnis ad hos fines atque utilitates, qvam potest, diligentissime promovendas.⁽³⁾ Ex natura delictorum, quae, ut poenae qvandoque reperantur capitales, omnino postulat, de qvo et ICtri in Tit. de Obligat. ex delictis copiose tractant, et Philosophi, quando rationem meriti exponunt, et demeriti.

§. V. Ad poenas dandas delicto proportionata, adeoque ad supplicia etiam quandoque capitalia ferenda, tum esse obligatos delinquentes, cum magistratus ea maleficii decenter constituit; illud primum denuo ex supra citatis rationibus clarissime demonstratur. Deinde vero in primis ex eo, quod omnis culpa obliget naturaliter delinquentem ad restitutionem et compensationem damni, quae sine suppliciis, quandoque etiam capitalibus, fieri non potest. Non obscuris, sed clarissimis, illud verbis significat ipse Spiritus S. Exod. XXI. 23., ubi, vitam, docet, reddendam esse pro vita, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, uscionem pro usione, vulnus pro vulnera, tunicem pro tunice. Evidem τὸ ἀντιπεπονθός Pythagoricorum in omnibus delictis puniendis, praesertim illis, in quibus poena iure talionis simpliciter repetita peccatum augeret et repeteret, non potest semper nec debet admitti, de quo conferri potest et Grot. cit. loc. c. 20. §. 33., et Hennig. ad Grot. l. II. §. 5. n. 3., At tandem, ut damnum datum in poenis compensetur et exaequetur, illud omnino iustum est et aequum. Quid? quod iustum rectissime dicatur esse, ut quandoque delinquentes non tantundem solum, sed et amplius, patiantur, quam deliqvit, ut est in Magn. Mor. quae Aristotelis nomen praefeferunt. Deinde, ut recte iterum observat Grot. c. l. §. 2., in delicto suppliciis puniendo inest aliiquid, quod ad contractuum naturam accedit: Quemadmodum enim, qui aliiquid vendit, etiamsi nihil peculiariter dicat, obligasse se censetur ad omnia ea, quae venditionis sunt naturalia; ita, qui deliqvit, sua voluntate se videtur obligasse poenae, quia crimen grave non potest non esse punibile, ita ut, qui vult peccare,

care, per consequentiam et poenam mereri voluerit.
Qvo sensu Imperatores quidam delinquentibus ad supplicium raptis rectissime responderunt: *ipse te huic poenae subdidisti.* Qui enim sceleratum capiunt consilium suo merito puniuntur, id est sua voluntate poenae meritum contraxisse dicuntur. Ad quam tamen Grotrii doctrinam *Zieglerus* bene observavit, qvod illa intelligenda sit, non de paetis omnino voluntariis, sed qvodammodo involuntariis, adeoque improprie sic dictis.

§. VI. Consequitur obligatio ad poenas, impri-
mis capitales, ultro expetendas, nemine eas postulan-
te, quam ego, nullam dari, confirmo (1) ex eo, qvod
nullibi praeceptum esse deprehendimus, ut supplicia,
nemine ea exigente, ultro ipsi desideremus. Ad il-
lud autem, qvod nullibi praeceptum est, qvalis dabi-
tur quaeso obligatio? (2) ex eo qvod ordinatae, quam
natura omnibus ingeneravit, charitati adversatur, vel-
le semet ipsum, nemine illud urgente, suppliciis, praec-
sertim capitalibus, ultro offerre. In quam senten-
tiam accipienda ea sunt, quae apud Pufend. lib. 8. c. 3. §.
4. de Iur. Nat. et Gent. occurrunt, qvando, proprie, in-
quit, dici non potest, aliquem teneri ad poenam, seu poe-
nam ab aliquo deberi; qvia poena significat aliquid, qvod
invito est imponendum et voluntatis aversionem involvit.
At vero ad quae proprie tenemur, talia esse intelliguntur,
ut ad eandem praestanda, ultro ac lubenter moveri debeam-
us. Paucis postea interiectis sic denuo pergit: Ex
dictis etiam hoc consequitur, qvod quemadmodum quis, ubi
damnnum a se datum sarcivit, hanc qvidquaque ipsius de-
ferre tenetur, quo poena a legibus statuta in ipsum decen-
natur; ita ob eandem rationem negatione, occultatione,

AUT

Diese Druck - 01.

aut per fugam isti se se subducere citra ullius obligationis violationem licet. Inde adeo ex Quintiliano eos dementes esse recte docet, qui de semet ipsis confitentur, ac nimis imperitam illationem esse, si quis dicere: ius parit obligationem; Ergo, qui legem violat, obligatur in foro humano ad poenam ultro sibi arcessendam. Argute Hobbes. de Civ. c. 14. §. 7. secunda pars, inquit, *legis, quae poenaria appellatur, mandatoria est, et loquitur tantum ad ministros publicos.*

§. VII. Restat obligatio ad cruciatus exigendos, quam dari in delictis quibusdam Grotius inde demonstrat cit. loc. c. 20. §. 31. quod mortis supplicium in quibusdam gravioribus delictis solum non sufficiat, nisi additis etiam, vel praemissis potius, cruciatibus variis. Morte evidem nihil gravius est, nec potest ea iterari, ut intra eam necessario consistere in poenis irrogandis debeamus; At vero res ipsa quandoque, in primis exempli statuendi ratio, postulat, ut mortis supplicium cum cruciatibus variis coniungatur, quia crescentibus delictis mortis etiam supplicium augeri debet.

§. VIII. Nullam autem dari obligationem ad cruciatus vel exigendos ab aliis religionis dicam, am superstitionis, causa, vel expertendos, et ultro suscipiendos esse sine gravissima causa ad eum modum, quo solent quandoque et facinorosi, et religiosi, seu superstitionis, et gloriosi et melancholici cruciatibus variis se ipsis afficere et conficere, aut ab aliis eos anxie considerare, illud peculiariter quadam *Disp. de Supercitis Affectionatis* ipse Cl. Respondens demonstrabit, cui, vel hoc nomine et ego, cum aliis, congratulor.

ULB Halle
005 121 825

3



Wilh. Folger
Buchbinderei
Sallo s. S., Dr. Ritterstr. 8

B.I.G.



Farbkarte #13

DE
OBLIGATIONE
SVPPLICIORVM [3,2]
PROPOSITIONES
MORALES,
QVAS AVSPICIO
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI, SERENISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI
FRIDERICI AVGVSTI,
ELECTORATVS SAXONICI HEREDIS,
ETC. ETC.
PRAE SIDE
HENRICO *Klausing*
MORAL. PROF. PVBL.
IN ACADEMIA VVITEMBERG.
AN. M DCC IX. DIE XIV SEPTEMBR.
H. L. Q. C.
PVBLICE DEFENDET
M. IOH. BALTHAS. BERNHOLDVS,
ONOLDO FRANC.
P. L. CAESAR. ET S. THEOL. CVLTOR.
VVITEMBERGAE PRAELO KREVGIANO.